

GEORGIVS PODEBRACHIVS BOHEMORVM REX.



Georgius ex nobili familia Bohemorū in op-  
pido Podiebracio natus fuit. Eum parentes  
à teneris annis in omnibus uirtutibus educarunt,  
atq; principum aulas frequentare iusserunt. In ijs  
magnam rerum peritiam & insignē in rebus agen-  
dis dexteritatem nactus fuit. Itaque Sigismundus  
Cæsar eum rebus maximis præfecit, atq; suo nomi-  
ne Bohemiam administrare iussit. Cum autem po-  
stea Sigismundus & Albertus Cæsares mortui es-  
sent, atq; Mainardus Hussitarum hostis, Georgio  
huic (qui Hussitas & Rochezanam sequebatur)  
resisteret, Georgius armata manu Pragam conten-  
dit, atq; urbe occupata Mainardum in carcere con-  
fecit, ubi etiam obiit. Postea cum alijs Bohemorū proceribus à Friderico Cæ-  
sare petiit, ut Ladislaus ipsis rex mitteretur. Cum ille tandem aduenisset, ac an-  
te nuptias obiisset, Georgius Matthiam Hunniadis filium Pragæ captiuum li-  
berauit, atque ei suam filiam in matrimonium dedit, qui etiam paulo post an-  
no millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo rex Vngariae desi-  
gnatus fuit.